

Transunto del Privilegio
di Carlo Duca di Calabria

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Transunto del Privilegio
di Carlo Duca di Calabria*

1325-1-14

In Dei nomine amen. Anno Incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo quinto, die quartodecimo mensis Ianuarii nonae inditionis apud Geracium. Regnante serenissimo domino nostro Rege Roberto Dei gratia inclito Hierusalem, et Sicilie rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, Forcalquerii ac Pedemontis comite, regnorum suorum anno septimo decimo feliciter amen.

Nos Ioannes de Franchica Iudex civitatis Geracii, et Nicolaus de Santo Paulo Regius publicus notarius per totum Iustitiariatus Calabrie ordinatus et testes infrascripti vocati specialiter, et rogati praesenti publico instrumento notum facimus, et testamur. Quod nobilis vir Iudex Ioannes Scilandus de Stilo in nostra praesentia constitutus ostendit nobis, et publice legi fecit quasdam literas sibi directas per nobilem et discretum virum Ioannem de Lungarde de Fundis Secretum Ducatus Calabrie eiusdemque Secreti noto, et consueto sigillo de cera verde sigillatas cum inserta in eis forma quarumdam literarum, quas vidimus, legimus, et inspeximus diligenter, quarum tenor per omnia talis est. Ad quarum literarum Ducalium executionem cupientes procedere cum omni sollicitudine reverenter, quam ad id exequendum nequivimus personaliter interesse aliis magnis arduis et expressionibus Curie servitis que nostram requirunt presentiam prepedi executionem earum vobis tenere praesentium duximus pro parte Curie fiducialiter committendum nobilitati vestre ex Ducali, qua fungimur autoritate, sub poena unciarum auri viginti expresse mandantes, quatenus forma predictarum Ducalium litterarum diligenter attenda et quorum nobis committitur

per vos tenaciter observata commemoratos Dominus Fulconem, et Dominum Guglielmum de Sinopolo fratres, vel eorum procuratores, seu nuncios presentium ostensores in possessionem iam dicti tenimenti in prescriptis bonis, ut predicatur consistentis, eiusque iurium, et pertinentiarum omnium, cum hominibus, et vassallis eisdem de omnibus in quibus tenentur et debent iure fidelitate Regia et Ducale, predistinto annuo Censu et maiori, si maior proinde debeat aliis Curie Regie, et Ducalis, et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis. De esecutione vero presentium cum forma earum fieri faciatis tria publica consimilia instrumenta, quorum uno prenotatis fratribus, vel dictis eorum procuratoribus, aut nunciis tradito. Reliqua dum uno retento, infra dies decem, a die data praesentium in antea numerandis, infallibiliter transmittatis, et unum ipsorum mittendum ad Ducalem Cameram in Archivo ipsius Camere conservandum. Reliquo penes nos, ut diximus retento, pro nostri rationcinii tempore. Datum ut supra octava ianuarii, none inditionis. Ad quarum Litterarum tam Ducalium quam dicti Domini Secreti executionem debitam, idem Iudex Ioannes Scilandus cupiens procedere reverenter, statim receptis ipsis litteris pretitulato die, mensis Ianuarii, forma ipsa litterarum Ducalium, ac dicti Domini Secreti diligenter attenda. Autoritate, et Potestate predicta, ut supra concessa per predictum Secretum memoratos Dominus Fulconem, et Dominum Guglielmum de Sinopolo fratres, vel eorum procuratores ostensores Litterarum predictarum in possessionem iam dicti tenimenti in predictis bonis, ut predicatur consistentis, eiusque iurium et pertinentiarum omnium cum hominibus et vassallis iam dictis induxit autoritate litterarum presentium

corporaliter, mandantes expresse homnibus et vassallis quatenus ex parte Regia et Ducali sub poena unciarum auri quinque, ut eisdem Dominis Fulconi et Guglielmo fratribus, intendant, et respondeant de iis omnibus in quibus tenentur et debent. Fidelitate Regia et Ducali predistinto annuo censu, et maiori, si maior debeatur aliis Regia Curie et cuiuslibet alterius, Iuribus semper salvis.

In cuius rei testimoniu et futuram memoriam, et ut de premissis fides plenaria fieri valeat apud omnes, facta sunt exinde tria publica consimilia instrumenta. Quorum unum dictis Domino Fulconi et domino Guglielmo fratribus tribuatur. Reliqua duo dirigenda ipsi Secreto, ut ipse Secretus, unum ipsorum mittat ad Ducalem Cameram in Archivo ipsius Camere conservandum, reliquum penes se retineat sui ratiocinii, tempore producendum, scripta et subscripta per me notarium supradictum, signo meo solito signata, sigillo et subscriptione mei predicti iudicis et testium subscriptorum signis, et subscriptionibus roborata. Actum anno, die, mense, loco, et inditione praemissi. † Ego Ioannes de Franchica qui supra iudex civitates Giracii testor. † Ego Malgerius Valderi testor. † Ego Petrus Guarna miles testor. † Ego Fredericus Guarna miles testor. † Ego Guglielmus de domino Ugone testor. † Ego Enricus de Amantea testor. † Ego Fulco Luciferus testor. † Ego magister Ioannes de Neapoli Phisicus testor. † Ego Thomas Luciferus testor. † Ego Nicolaus Tropeanus testor. † Ego Guglielmus Bonistatus testor. † Ego Nicolaus de Sancto Paulo regius publicus qui supra notarius predicto scripsi et me subscripsi.